

gorianum praesentibus quinque dd. cardinalibus cum mantellettis et rochettis, videlicet ill^{mo} dd. Alphonso Gesualdo episcopo Ostiensi, Alexandro Medices de Florentia nuncupato tit. S. Petri ad Vincula, Francisco Toletto tit. S. Mariae Transpontinae presbyteris, Petro Aldobrandino S. Nicolai in Carcere et Cynthio Aldobrandino S. Georgii nuncupato diaconis, ac multis episcopis, praelatis et aliis sanctis caeremoniis praecedentibus. Papa a suis cameris descendit per scalas sacristiae ad sacellum Gregorianum, in quo benedicta fuit crux, induitus stola supra mozzettam, cruce praecedente, et in porta Gregoriani aspersit se et alios cardinales de aqua benedicta, de more ministrante aspersorium ill^{mo} d. cardinale Gesualdo. Deinde fecit orationem ante altare dicti sacelli Gregoriani, supra quod altare capsula argentea erat et intus reliquiae in cruce includendae et Agni Dei et duae capsulae plumbeae, quarum in una erant includendae reliquia, in altera Agni Dei. Papa facta oratione accessit ad altare et visis omnibus supradictis in altare positis deposito bireto benedixit duas capsulas plumbeas, prout dicitur in libro Pontificali, induitus stola supra mozzettam. Benedictis capsulis inclusit reliquias intus unam ex capsulis plumbeis vide-licet de ligno s^{mae} crucis D. N. Iesu Christi, de reliquiis S. Andreae Apostoli, S. Iacobi maioris Apostoli, S. Clementis Papae et Martyris, S. Callisti Papae et Martyris, S. Sixti Secundi Papae et Martyris, S. Ioannis I Papae et Martyris cum tribus granis incensi. Deinde inclusit in altera capsula Agnos Dei. Hoc confecto Papa descendens ab altare venit ante crucem collocatam extra altare a cornu Evangelii in angulo, quam benedixit, prout in libro Pontificali habetur, cum eisdem caeremoniis notatis et descriptis in dicto libro Pontificali. Benedicta cruce Papa suis manibus collocavit capsulam plumbeam cum reliquiis intus inclusis in brachio dextero crucis et capsulam plumbeam cum Agnis Dei intus inclusis in brachio sinistro crucis. Deinde Papa genuflexus adoravit crucem et illam lacrimando osculatus est. Post Papam adorarunt crucem ill^{mo} dd. cardinales supradicti, episcoli, praelati et alii. Demum Papa apud altare deposita stola ac mozzetta lavit manus et accepit paramenta pro missa lecta dicenda, quam dixit in altare dicti sacelli Gregoriani de die festo dedicationis, praesentibus omnibus supradictis. Absoluta missa oravit ante altare maius S^o Petri sub quo condita sunt corpora SS. Apostolorum Petri et Pauli. Deinde ascendit superius ad suas cameras per eandem viam, qua venit. Indulgentia non fuit concessa, quia in basilica S. Petri hodie est plenaria. De libro servivit in benedictione capsularum et crucis r^{um} d. archiepiscopus Montis Regalis et de candela episcopus Cassanensis induiti mantellettis et rochettis. Crux benedicta fuit collocata supra pallam in cacumine cupuae magnae S. Petri circa horam 21 et fuerunt pulsatae campanae dictae basilicae S. Petri et sonarunt tubycines et timpanistae et fuerunt exoneratae bombardae in arce S. Angeli et in platea S. Petri, et canonici et capitulum basilicae S. Petri cantarunt hymnum, Vexilla Regis prodeunt, dum superius crux ferebatur et trahebatur, et deinde hymnum, Te Deum etc. Quos hymnos cantores dictae basilicae cantarunt praesente toto clero S. Petri.